

## EXEGESIS.

**N**Otandum (1.) est, quid sit *Delictum revocare*? scilicet nihil aliud, quam istud crimen, quod reus antea sive sponte & liberè, sive in tortura coactus constanter tamen confessus est, dolosè, & quidem animò evitandi pœnam, vel etiam protrahendi processum, negare. Quod fit in ultimo & capitali die coram criminali Judicio, adeoque differt ab illa revocatione, cuius mentio facta est in artic. 57. Ibi enim agitur de revocatione confessati delicti post torturam: hoc loco tractatur de revocatione delicti in illo ultimo die, quo sententia capitalis debebat executioni demandari.

(2.) *Quodnam sit Judicis officium* in tali casu, quô reus in judicio criminali ultima vice interrogatur de delicti confessione antea ab ipso facta? (1) debet accuratè investigare, quem in finem confessionem reus revocaverit? (2) Si exploratum habuerit, illam revocationem unicè tendere ad pœnæ elusionem & executionem sententiæ impediendam, vel ad minimum ad protrahendum processum, Assessores duos, qui una cum ipso rei confessionem audiverunt, sub juramento interrogabit, nunc quid ne & ipsi confessionem istam antea à reo factam, & nunc revocatam audiverint? Ratio est, ut cœteris Assessoribus, qui suis votis reum vel condemnare, vel absolvere debent, legitimè de illa rei accusati confessione constet. Et quantumvis ex Actorum inspectione de ejusmodi confessione sufficienter constare possit Assessoribus Judicii; attamen, ut nihil dubii remaneat, & ne minimum quidem alicujus suspicionis vestigium supersit, Imperator pro abundantí cautela illam interrogationem fieri voluit, ita, ut quantumvis reus non de ipso delicto, nihilo minus tamen de confessione delicti convincatur. Mantzius ad h. artic. pag. 350. (3) Quod si Assessores responderint, se Rei confessionem antea audivisse, non statim Judex reum condemnabit, sed prius Acta transmittet ad Jurisconsultos, & illorum consilium requiret, quid in tali casu sit faciendum? Vide Oldkopium in Tractat. 2. contra Carpzov. Decad. 2. quæst. 5. p. 201. ubi eruditè hoc argumentum persequitur. Ut & Blumbacher ad h. art. p. 211. 212. 213. ubi pleraque Oldkopii exscripsit.

¶ Cti autem diligenter acta perlustrabunt, numquid à Judice tum in directione Processus, tum in ipsis actibus fuerit peccatum? Deinde si nullus defectus in processu deprehendi posset, attendere eos oportet, an non reus probabilem suæ antea factæ confessionis errorem attulerit? nec ne?